



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


**Antonii Mariae Gratiani A Burgo S. Sepulchri Episcopi  
Amerini De Vita Joannis Francisci Commendoni Cardinalis  
Libri Quatuor**

**Graziani, Antonio Maria**

**Parisiis, 1669**

Amico Lectori B. R.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9616**



## AMICO LECTORI

B. R.

**I**N historia superiorum temporum tametsi non ita hospites eramus, neque adeò rerum ignari, quin Joannem Franciscum Comendonum Cardinalem & vixisse, & virum fuisse magnâ virtute, & scientiâ sciremus; minimèque nos præteribat, Antonii Mariae Gratiani librum de bello Cyprio à doctis hominibus legi, & laudari: nihil tamen ampliùs de his à nobis quærendum existimabamus. Cùm ecce tibi ab Amico aliud mihi ejusdem Gratiani scriptum de vita Comendoni, egregium, ut aiebat, legendum traditur. Quod cùm vix à limine salutarem, statim Heracliti celebre illud occurrit, Introite. Ingressus igitur non priùs abstiti, quàm ad extremum pervenirem, ea cum admiratione præstantissimi operis, ut exinde palàm indignarer, adeoque stomacharer, libris omne genus hac tempestate sine modo, ac discrimine prodeuntibus, jacere hunc in obscuro, eique lucem, & immortali-

tatem, quam meritò posceret, invideri. Accepit hæc generosus quidam juvenis, librúmque nactus cum perlegisset, & quâ est eruditione, & judicio vehementer probasset, illico animum induxit, occasionem arripere, laudémque ipse præripere ejus editione, non modo de præstantissimo scriptore, sed universa etiam de Republica benemerendi. Quamobrem diuturno tamquam carcere liberatum, eo quem vides nitore, & ornatu prodire jussit in publicum, idque nostrâ ipsius curâ, & diligentia. Sed ne fortè quod titulum vitæ præfert, in præjudicium ipsi vertat, & fraudem perinde quasi inane quoddam sit opus angustis finibus, rerúmque minutarum sterili narratione conclusum: contra, prædicimus in hujusmodi vita Christianæ Reipublicæ, ac totius fermè Europæ multorum annorum vitam (ut ita loquar) comprehendere, rerúmque maximarum consilia, administrationes, eventus dilucidè, copioseque narrari. Neque enim vir ille, quo de agitur, intra domesticos parietes privatis suis, aut civitatis tantum suæ publicis curis occupatus, confedit, sed difficillimis temporibus, gravissimorum Christianæ rei negotiorum pondus, & molem non solum animo subiit, sed & nobilissimis legationibus in regiones, & Regna longè divisa,

ultra, citroque incredibili celeritate commens,  
admirabili tum prudentiâ solertiâque, tum au-  
thoritate, & eloquentiâ sustinuit, atque in his  
Gratianum hunc ipsum perpetuò comitem, &  
consiliorum participem habuit, rerumque ge-  
rendarum fidelissimum, & solertissimum ad-  
ministrum. Is autem quæ vidit, & quibus  
interfuit in historiam ita congesit, ut disci-  
plina sapientissimi Heri sui alumnus facile  
agnoscas, quem ut prudentiâ, & doctrinâ,  
ceterisque expressit virtutibus, ita eminentissi-  
mâ dignitate, ad quam per ejus vestigia viam  
sibi muniverat, expressisset; sed mors manum  
injecit. Caterum orationis munditiam, nito-  
rem, & elegantiam, rebûsque aptum, & ac-  
commodatum dicendi genus, quo utitur, ju-  
dicio ipse suo, & industria præcipue debet:  
nonnihil etiam fortunæ, cum in ea tempora  
inciderit, quibus scribendi rectè, & Latinè  
loquendi leges, atque præcepta religiosius ali-  
quanto observabantur. Quæ quidem omnia,  
ERUDITE LECTOR, tute optimè intelliges,  
præclarumque scriptum non modo tecum gaude-  
bis, sed cum omnibus etiam doctrinâ, & ju-  
dicio præditis, gratulaberis tandem aliquando  
communicatum.